



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput V. De Cantu Musicorum, & Symphoniis impurisque carminibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT V.

De Cantu Muſicorum, & Symphoniis impuris-
que carminibus.

SUMMARIUM.

1. Propoſitio 1. Probatur quosdam cantores,
& Muſicos in improbitate veteres ſupe-
rare.

2. Propoſitio 2. Probatur Chriſtianum de-

here amare gravem, & honeſtum can-
tum.3. Propoſitio 3. Probatur Chriſtianis prohi-
bitum eſſe legere ſigmenta Poetarum.

PROXIMO à voluptariis ſaltationibus
loco ponenda ſunt oblectamenta,
quæ capiuntur Muſicis cantilenis;
& numeroſo ſono instrumentorum.

1. PROPOSITIO I. Quidam cantores
& Muſici, niſi ſuperant, adæquant ve-
terum improbitatem; & ſingulare erit
exemplum, niſi aliqui ſint flagitioſi,
flagitiorumque adminiſtri.

Probatur
quosdam
Cantores &
Muſicos in
improbitate
veteres ſupe-
rare.

Fuerunt I. olim Citharædi, Tibici-
nes, alique pulſatores instrumentorum
frugi & modeſti. Præter exemplum
Davidis, legimus apud Athenæum,
Agamemnonem cantorem reliquiſſe mo-
nitorem Clytemneſtræ, cui non prius
intulit ſuprum Aegithus, quam in in-
ſula occidit cantorem. De hac Cantor-
um modeſtia legatur Joſeph. Laurentius
Lucenſis in libro de Præconibus, &
& Citharædis. Quis nunc relinqueret
Muſico pudicam uxorem cuſtodendam?
II. Non alia veſte utebantur olim Mu-
ſici, quam ad pedes uſque demiſſa, ut
ſcribit Apul. 11. Florid. atque hanc ve-
ſtem pallam dicebant. *Saltaſic cum palla*,
inquit Plautus in Menæch. Neque fas
erat Muſicis ſudorem abſtergere, niſi
ea ipſa veſte, qua erant induti, auct.
Tacito lib. Annal. xvi. At noſtræ æta-
tis Muſici veſtimentorum luxu ſuperant
Optimates, principesque Matronas;
quibus etiam ſuperbia elati, plauſuque
tumidi audent ſe comparare. III. Ad
genus quod attinet cantus, veteres
*probarunt tantum ſimpliciores modula-
tiones*, inquit Plutarchus in Inſtitutis
Laconicis. Antiquam hanc muſicam
immutari prohibet Plato in lib. de Mu-
ſica, *ne priſtini mores labascent*: Lacedæ-
moniorum autem *erat muſica modeſ-
ta, & ſevera, moribusque eorum con-
ſentanea, gravitatem cum vetuſtate re-
præſentans, non levis aliqua, vel ludi-
cra aut aures voluptate demulcens*, ait
lib. 3. de Repub. Laced. Tab. viii. Inſt. 9. Nicolaus Cragius. Ad morum
nunc corruptelam omnis modulatio
theatrica, hilaris & profana, cantica
etiam ſacra corrumpit. IV. Cantare
maxime in ſacris cum Tibiis Alcibia-
des apud Plutarchum refugit tanquam

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

rem ſordidam & illiberalem, quod vix
poſſis vultum dignoſcere infantis ti-
biam, & huſus ſonus obſtruat vocem,
& verſus incidat. Utebantur tali ſono
Spartani, & Cretenſes in Bello, ut re-
fert Jo. Meurius. Quis ergo rationis
compos probet in templo tumultuoſam
muſicen, qua perſonante exultant thea-
tra; currunt equi, & armati diſponun-
tur ad pugnam; & non gravem illam,
dulciſonam, nobiliſſimamque, qua Ro-
mæ in Pontificio Sacello Divina cele-
brantur officia? V. Donatio Muſica
olim tenuiſſima, licet poſtea modum
exceſſerit, ut Poetarum, unde mira-
tur Horat. lib. 2. Ep. 1. Cherilum pro
ſingulis verſibus, iſque incultis, ac-
cepſiſſe ab Alexandro aureos ſtateres.
Verum quis Cantoribus noſtris locuple-
tior, in quos eſtundi videmus ſubſidia
pauperum, philoſophorum ſtipendia,
necnon poetarum, quorum illi carmina
concinunt, mercedes? VI. Inter vitia
Neronis connumerat cap. xx. Suetonius
artes, quibus ad molliendam vocem
utebatur: neque has duntaxat adhibent
hodie Muſici; evirant præterea pueros,
ut vocem imitentur femineam: quod
ſane deteſtandum eſt, & crimen proxi-
mum homicidio: & cum omnes repre-
hendant jure merito Origenem, qui ſe
ſervandæ caſtitaſis gratia imprudenter
exſecuit, non niſi ſceleſtiſſimus erit exi-
ſtimandus, quiſquis ad vocis illecebram,
& lenitudinem, facit ſpadones, ſive, ut ve-
teres appellant Canones, *τὸν ἀνδρὸς ἐξ
ἐννέπαις, eunuchos per injuriam*. VII. Etſi
non perſequor mores ad civilem inſtitu-
tionem; otii tamen, & peſſimæ occu-
pationis apertum eſt argumentum, quod
cantores non ignorant *tempus flendi &
tempus ridendi*, quod diſtinguendum
monet Eccleſiaſtes cap. 111. v. 4. nam
& in hos quadrat proloquium vetus Ho-
ratii lib. 1. Sat. 3.

*Omnibus hoc vitium cantoribus, inter
amicos*

*Ut nunquam inducant animum cantare
rogati:*

Injuſſi nunquam deſiſſant.

Z 2

Atque

Atque ex his constat, saepe modum excedere oblectationes, quibus Christiani recreantur in Musicis cantilenis, fidibusque numeroſe ſonantibus.

2. PROPOSITIO II. Oportet, ut Christianus gravem, & honeſtum cantum, vel ſonum amet; aſpernetur autem mollem, invercundum, & illiberalem.

Probatur
Christianum
debere ama-
re gravem &
honeſtum
cantum,

Neque enim damnamus ſacra Cantica in Eccleſiis, vel uſum Organorum, in quæ ſolent Novatores, contemptoresque ſacrilegi Eccleſiaſticorum rituum contumelioſa verba profundere. I. Commendat iſtorum uſum Sacrum antiqui fœderis volumen. Moſes Domino cecinit, & cantavit, idemque præſtitit Maria, Exodi xv. Canendum ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, præcipitur cap. x. Num. 10. A Salomone parata pro Sanctuario Muſicalia instrumenta narrat caput x. tertii Regum. Numerum Cantorum habes apud Eſdras lib. 1. cap. 11. 65. Neque in veteri teſtamento tantum; lætandum eſſe pſalmis, & hymnis ſpiritualibus, docet Apoſtolus ad Ephesios v. 19. ad Coloſſ. 1. 16. Conſentiunt Patres: Tertullianus in Apologetico, *Quisquis de Scripturis ſanctis, inquit, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* S. Pater Auguſtinus lib. 18. Conf. cap. xlii. ait, *Pſalterium arripuit Evodius, & cantare cepit pſalmum, cui reſpondebamus omnis domus.* Ambroſius, & Gregorius etiam cantus rudimenta Clericis tradiderunt. II. At cantus non diſplicet hæreticis omnibus: nolunt in Eccleſiis pulſari organa. Attamen hæc etiam ſacri libri, tractatio, eademque ratio defendit. Legimus enim 2. Paralip. xxxiv. 12. fuiſſe Levitas, *ſcientes organis cauere*, & Pſalmiſta ait Pl. cl. 5. *Laudate eum in chordis, & organo.* Traditionem in his, quæ ad ritus, & & diſciplinam pertinent, neceſſum non eſt explorare; cum poſſit Eccleſia inſtituere quidquid ad pietatem excitandam loco, ac tempore videt magis congruere. Legi tamen in theſauro Martene Tom. 3. p. 488. Chronicon Sancti Bertini ſcribentis Conſtantinum Imperatorem Leonis filium anno 758. miſiſſe Pupino encæniam quædam, & Organum unum. Non nego veteres Chriſtianos frequenter ceciniſſe absque instrumentis, ſive, ut ſcribit Auctor QQ. ad Orthodox. Reſp. cvii. *aſſa voce.* Sed non omnia, quæ ad templi ornatum, & Sacrificiorum decorem conferunt, habere potuerunt antiquiores Chriſtiani. Fallitur autem Calvinus dicens, organa

reponenda inter ritus legis Moſaicæ abrogatos: nam organa non ſunt figuræ quædam futurorum poſt conſummationem abjiciendæ: ſunt, quomodo hymnorum cantus, ſpiritualis lætitiæ cauſa; nec adinventæ à Moſe, ſed perſiſtente lege naturæ à Jubal, Gen. 1v. 21. Similiter ſacræ veſtes, candelæ, incenſum, & alia à Romanis Clericis uſurpata, cum excitent devotionem in populo, & diſtinguant ſacra miniſteria à profanis, perperam ab implis ſubſannatoribus irridentur. III. Idcirco ſateormodulationes à devotione amoventes, aut theatricarum cantionum numeris conformatas à Templis eliminandas Chriſtianorum, ne videantur hi minus ſapere Plutarcho, Platone, & Lacedæmoniis, de quibus prop. præced. n. 3. necnon Decemviris, quorum lex erat in Tabulis: *Popularem lætitiâ in cantu, & fidibus moderantur, eamque cum Divum honore jungunt.* Læconicis demum, quos in feſtivitatibus adhibuiſſe cantum ſimplicem, & gravem, liquet ex libro Ubbonis de Lacunum Republica. Devotionis autem incitamento addimus ſacrorum hymnorum, pſalmorumque caſtiſſimam venuſtatem; quam violare non debent cantores ſcenici, ne de Eccleſiæ Canticis ſit repetendum, quod de Oſcis impuris cantoribus, unde nomen obſcœnitatis deductum, quoniam eodem modulamine caneant ſacra, arbitror dictum à Juvenali Sat. 111.

Et Divina Opici rodebunt carmina mures.

IV. Præter ſacra, honeſta Cantica dummodo cum ſobrietate temperentur, arbitror permittenda. Tympaniſtrias enim virgines, & Citharædos ſæpe Divinæ literæ laudant. Cantent & ruſſici culturæ agrorum intenti. Vocem molæ, id eſt, puellarum molam torquentium memorat Jeremias cap. xxv. 10. quale cenſet Grotius canticum illud:

*Mola, tu molito, molito:
Facit & Pittacus iſtud
Magnæ dominator Mytilenæ.*

V. A cantilenis autem amatoriis, tanquam à veneficio, & peſte animorum caveto. Ait enim Ambroſius in 1. de de Officiis cap. xviii. *In ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt.* Et Auguſtinus de x. Chordis cap. 1v. *Quare ambulemus delectati vanis canticis, nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in poſterum amaris? Talibus enim turpi-*

ſurpitudinibus cantionum animi humani
illeſti enervantur, & decidunt à virtute
deſuentes in turpitudinem, & propter
iſſus turpitudines poſtea ſentiunt dolores,
& cum magna amaritudine digerunt,
quod cum dulcedine temporali biberunt.
Verum in eundem ſcopum collineant
mox dicenda de Carminibus Poetarum.

3. PROPOSITIO III. Chriſtiani prohi-
bentur ſigmenta legere poetarum.

Habetur cap. Ideo prohibetur, diſt.
xxxvii. & ratio ibidem redditur: quia
per oblectamenta inanum fabularum men-
tem excitant ad incentiva libidinum.
Deſumptus eſt Canon ex lib. 3. Sent.
Iſidori de ſummo Bono cap. xlii. Per-
ſtringit fabulas Poetarum S. P. Augu-
ſtinus in Epist. ad Memorium, lib. 2.

de Civit. Dei cap. xiv. alibi. Dæmo-
num cibum appellabat Hieronymus.
Inter Regulas damnandorum librorum
ad calcem Tridentini, habetur conſe-
quens: Libri, qui res laſcivas, ſeu ob-
ſcenas ex profeſſo tractant, narrant, aut
docent, omnino prohibentur, &c. Et
jure, meritoque; cum enim corrumpunt
bonos mores colloquia mala; nil
poſteſt illos magis inquinare, quam can-
tus, & carmen obſcenum, quoniam &
hæc colloquia mala ſunt, atque ſermo-
nis venere, numeris, fabulis, verbis-
que flexanimis aures artificio, veneficio-
que demulcent. Atque idem aſſeren-
dum eſt de fabulis ſoluta oratione con-
ſcriptis, & extra pudoris limites diva-
gantibus.

CAPUT VI.

De ludis, in quibus homines delectationis cauſa exercentur.

SUMMARIUM.

1. Qualis ludus pueris permittendus.

2. Qualis adoleſcentulis.

3. uſque 8. De luſu alcarum.

JAM vero dicam de ludis, quorum
nomine non ſcholam ſignifico, unde
appellatur præceptor cum Iſocrate,
& Epicuri patre Ludi magiſter, ſed de
iis, quos Tullius dixit ludos luſionis,
ſcribens ad Q. Fr. Ducebam Ciceronem
meum in ludum diſcendi, non luſionis.

1. PROPOSITIO I. Ludere permittan-
tur pueri communibus, & peranti-
quis luſionibus, quæ innoxie ſunt, &
ab adultis ratione ipſa ſuadente reji-
ciuntur.

Sunt hi ludi. I. Trochus, & bom-
bex: cujus generis duo ex Magno Ba-
ſilio Orat. 5. Platone lib. 4. de legibus,
& Ovidio 2. Triſt. etiam antiquitus ex-
titerunt: trochi ſcilicet, qui ſcutica
agitantur, & qui cuſpidem habentes
loro ejeſti circumvolvuntur: atque iſtud
ludi genus dixere latini, trochum agi-
tare, aut, buxum torquere. II. Muſca
ænea, quo ludo puer clauſis oculis cir-
cumambulat, donec aliquem manu ap-
prehendat; ſic luſio dicta, quod apud
Græcos puer ille olim dixerit, *χάρων
μύρον ὀφθαλμοῖς*, Aeneam muſcam venabor:
cæteri reſponderent, *ὀφθαλμοῖς, εἰ μὴ εἰ
νέμεας*, venaberis, ſed non capies. III.
Ludus dictus Pentalitha, id eſt, quin-
que lapillorum, de quo Pollux lib. ix.
cap. 7. ſcribit, lapillos aut calculos
ſuſum propelli, & cadentes recipi vo-
la converſæ manus ſuperiori. IV. Ac-
cedit quem vocant Græci Artiazein,
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

dum in talorum multitudine jubetur
puer divinare numerum, aut par, vel
impar: de quo ludo Pollux ibidem,
Suetonius in Auguſto, & Venuſinus
Poeta lib. 2. Sat. iii.

Ludere par, impar, equitare in arun-
dine longa.

Reliquas puerilium ludorum ſpecies tra-
dit ſingulari libro Meurſius. Fortaſſis
præter modum, hæc perpauca exem-
pla propoſuiſſe.

PROPOSITIO II. Permitti poſteſt
Adoleſcentibus ludus latrunculorum. PROPOSITIO 2.

Latrunculorum ludum appello, quod
Itali dicimus Scacchia, vel Scacchos, Qualis ludus
appellabant autem antiqui Græci *ζατρίκιον*, adoleſcentu-
αιον; quamquam nonnulli putant inter lis permi-
latrunculos, Scacchia, & zatrición ali- tendus,
quid intereſſe diſcrimidis. At refere-
bant hi omnes ludi belli imaginem, ut ob-
ſervarunt Meurſius, Daniel Souterius,
Dempſterus, alii. Hoc ludi genus inpo-
xium ſcribunt Panormitanus, Navarrus,
& complures laudati à Cl. Ordinis Scri-
ptore Angelo Rocca in Commentario
contraludum Alcarum. Probant omnes
licitam hanc luſionem, propterea quod
non ſorte aliqua conſiſtit, ſed ingenio.
Præter iſtos viros illuſtres non proba-
runt ſolum, verum & celebrarunt ludum
huiusmodi carmina Poetæ, ac Theolo-
gi percelebris Hieronymi Vida Episcopi
Albenſis. Inter ejus Poemata extas
Scaccheides, cujus initium eſt:

Z z 2

Ludi